NOBILISSIMO VIRO
CONSTANTINO HUGENIO
Dudum ZULICHEMI, Nunc et
FRANCORUM SALIORUM
TOPARCHAE.

Gottifredus Wendelinus.

Quas mihi lætitias insperatas pleno dimenso in sinum effudit tuus VIR NOBILISSIME Coolsius, cum te renuntiavit SALE-HEIMI Toparcham; etsi obmutui gaudio, si tamen eas volumus narrare occipiam, fecero quod ebrij solent; quibus temulentia stimulat loquentiam. Enimvero ebrium me tanto isto gaudio (nec pudet) fateor; ac neque iam vel eius capiendi, vel (ut ut captum feram) eloquendi compotem. Summa eius est: quod iam porrho scio apud quem Dissertationem instituam, quem Iudicem deligam Diatribæ iam adfecta DE NATALI SOLO LEGIS SALICÆ. Rem altissima ignoratione dudum sepultam primus ego intra istos 15 annos protraxi in lucem, atque ut fit, colloquia conferendo cum amicis feci communem. ostendique FRANCOS SALIOS (Ammiano commemoratos) ausos quondam in Romano solo PROPE TOXIANDRIAM-LOCUM habitacula sibi figere; quorum etiam Legationem Iulianus (anno 358) cum Tongros venisset audivit; illos ipsos esse qui hodieque SELEHEIM incolunt, accolunt, confines non vico ignobili aut ignorabili sed pago amplissimo TESSENDER-LOO. Nam et ex adversa Sele-heimo Ripâ Tameræ fluvij (qui Tabuda est Ptolemæo) SALICUS vicus adiacet ZELCK: et Herram inter ac Luminium protenduntur Prata Salia (DIE SEELBEMDEN). et quod agri superiacet inter Halonem (HALEN) et Herram FRANCIA vocatur (HET VRANCKRYCK hodieque. Prælibationem Vindiciarum Lotharingicarum anno superiore Chifletius edidit. In illis a me hæc ipsa professus accepisse, gloriam tamen fecit suam, cum Wisogastum Bodegastum Salegastum, Windegastum ex villis BODE-HEIM (Bantershem.) SELE-HEIM (Tuom ere Seelheim) WINDE-HEIM (Wintersheim agrosci sive Wintershouen) convenientes ad tres Mallos ostendit his ipsis in locis Salicam legem perscripsisse. Marte

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 17
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3941

VIR NOBILISS. tua ista gloria, quod ampliorem eam refundis
loco Nobilissimo quam ab illo accipias. Ego recte Martum me
audentiâ praedico, aliquando plenioribus buccis ista praedicandi
vbi tu fauere te affectui significabis. Tui VIR NOBILISSIME
atque eximie COMES DE SEELHEIM

ex aedibus Coosianis
Distio Cal. Mais
1645

Plausoris

Gottfredi Wendelini

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 17
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3941

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 17
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3941

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 17
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3941

NOBILISSIMO VIRO

CONSTANTINO HUGENIO

Toparchæ

Zuylicheimi et Selcheimi

Suæ Celsitudini Arausiensi

Ab Arcanis et Consilijs

etc.

Hagam Comitis

ad 17

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 17
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3941

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 17
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3941